

in utraq; manu singulas, sed clariorem dextram, & sub ea alteram obscuram, & in cubito dextro claram unam. In zona unam clarius cæteris lucentem, hæc stella arcturus appellatur, in utrisq; pedibus singulas quæ omnino sunt xiiii.

m

Draco sub
II est. Boo-
tes sub n̄ &
☽

Corona.

Corona septentrionalis octo habet stellas, quæ ferè omnes quartæ sunt magnitudinis præter Alphetam, quæ secundæ est magnitudinis.



Oronam humero sinistro prope contingere Arctophylax uidetur, quam engonasin dextri pedis calce coniungit, hæc cancro & leone exoriente occidere, cum scorpione exoriri perspicitur. Habet autem stellas nouem in rotundo dispositas, sed ex his tres clarius cæteris lucentes.



Engonasin siue Hercules.

Hercules insigniores stellas habet in capite, in humero dextro et super adiutoriam dextrum, & super humerum sinistrum, quæ singulæ tertie sunt magnitudinis, reliquæ ferè omnes sunt quartæ & sextæ magnitudinis.



Engonasin. Hic positus inter duos circulos arcticum & æstiuum, utrisq; pedibus & dextro genu quæ ante diximus arcticum circulum finit. Ita tamen ut dextro pede prioribus digitis circulum terminet, sinistro autem toto caput draconis opprimere conetur. Humeris autem uelut sustinens circulum æstiuum & manu dextra proiecta tangens. Leua autem è regione ad sinistrum genu porrigens, equali interuallo circuli æstiuini & genu sinistri. Hic occidens capite prius quam reliquo corpore deuenit ad terram, qui cum totus occidit* ut pendere pedibus ex arctico circulo uideatur, exorietis autem pedibus quam reliquis membris. Habet autem in capite stellam unam. In sinistro brachio unam. In utroq; humero singulas clare lucentes. In manu sinistra unam, in dextro cubito unam. In utroq; latere singulas sed clariorem in sinistro. In dextro scæmore duas. In genu unam, in poplite unam, in crute duas, in pede unam quæ dicitur clara*. In sinistra manu quatuor, quas pellè leonis nonnulli esse dixerunt. Ita sunt omnino decem et nouem.



m


Ita figuratur,
& c. uel simile
quid deesse uir
detur

Lyra.

Lyra, quæ & uultur cadens, habet stellas decem, quarum insignior est Vega primæ magnitudinis.



Lyra. Hæc posita est contra regionem eius loci qui est inter genu & manum sinistram eius qui Engonasin uocatur, cuius ipsa testudo spectat ad arcticum circulum. Summum autem cacumen ad polum Notium contendere uideatur, hæc lyra uirgine exoriente occidere uidetur, & cum sagittario exoriri perspicitur, habet autem in ipsis testudinis lateribus singulas stellas. In summis cacuminibus eorum quæ in testudine ut brachia sunt coniecta singulas in mediis, iisdem quas humeros Eratothe-



h

nes fingit